

**Dissertatio medica inauguralis de morbis infantum lactantium ... / ex
auctoritate ... Francisci Fabricii ... pro gradu doctoratus ... Joannes Marret
... Ad diem 19 Junii 1724.**

Contributors

Marret, Joannes.
Fabricius, Franciscus, 1663-1738.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugd. Bat : Joan. & Herm. Verbeek, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u4kpyej5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE

M O R B I S INFANTUM LACTENTIUM.

QUAM,
ANNUENTE DÉO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRANCISCI FABRICII,
S. S. THEOL. DOCT. HUJUSQUE, NEC NON
ORATORIÆ SACRÆ, IN ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARII, UT ET EC-
CLESIÆ IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis

ritè ac legitimè consequendis,

JOANNES MARRET, Neomag. Gelrus.

Publico ac solemini Examini subjicit
Ad diem 19 Junii 1724. horâ locoque solitis.



LUGD. BAT. Apud JOAN & HERM. VERBEEK.

DOCTORATO
MEDICA FACULTATES
DERE
MORBIE
INFANTUM LACINITUM

ANNIVERSARIE DEO TER OPT. MAX.

ANAGNITHONIS MEDICALIS REGIAE

DOCTOR FRANCISCI FABRICII
SACRE THEOL. DOCTOR HUINGONE, NEC NON
ORATORIE SACRAE IN ACCE^{RE} TUCDRATE
PROFESSORIS ORDINARII, UT ETEC.
CONFERTE PASTORIU

NEC MON

SENATUS ACADEMIC GLORIAE
GLORIA ACADEMIC MEDICAL DOCTORATS

PRO GRADU DOCTORATS
SACRATUS MEDICALIS HONORUM & PROFESSIONIS
JOANNES MARRETT, Necmog. GLORIA
LATINA & LATINAE DISCIPLINAE
TEXTE DE XANNO 1554. PROPTER PROSPERTA

INTEGRIMO SPECTATISSIMOQUE

V I R O

D. STEPHANO MARRET,
PATRI SUO INDULGENTISSIMO OMNI CUL-
TU ET PIETATE FILIALI IN ÆTERNUM
PROSEQUENDO.

NEC NON

AMPLISSLIMIS & CELEBERRIMIS

V I R I S

D. HERMANNO BOERHAAVE,
A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOC-
TORI, MEDICINÆ, BOTANICES ET CHE-
MIÆ IN ILLUSTRI LUGD. BATAVORUM
ACADEMIA PROFESSORI ORDINARIO, ET
COLLEGII CHIRURGICI PRÆSIDI DIGNISSI-
MO; VERE TOTI MUNDO NON SIBI GENI-
TO, QUI PRÆCEPTIS DISCIPULOS, MODE-
STIA ET HUMANITATE INCOMPARABILI
NECESSARIOS, STUDIIS ET INVENTIS SUIS
LITERATOS OMNES SIBI DEVINCTOS RED-
DIT.

D. HERMANNO OOSTERDYK
SCHACHT,

A.L.M.PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI IN HAC ILLUSTRISSIMA BATAVORUM ACADEMIA THEORIAE ET PRAXEOS PROFESSORI ORDINARIO, UT ET COLLEGII PHARMACEUTICI PRÆSIDI, ET ORDINUM HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ COLLEGII THEOLOGICI MEDICO. PROMOTORI MEO NUNQUAM SATIS LAUDANDO, PRACTICO FAMIGERATISSIMO, EXPERIENTISSIMO DE MEIS STUDIIS OPTIME MERITO, ÆSTIMANDO, SEMPER HONORANDO.

D. BERNHARDO SIEGFRIED
ALBINO,

MED. DOCTORI ANATOMES ET CHIRURGIÆ PROFESSORI DEXTERRIMO SEMPER VENERANDO.

PARENTI ET PRÆCEPTORIBUS SUIS SPECTATISSIMIS, STUDIORUM SUORUM FUNDATORIBUS, OMNIQUE GRATITUDINIS OFFICIO PROSEQUENDIS.

*Hanc dissertationem inaugurem
ea quā par est reverentia Sa-
cram effe vult*

JOANNES MARRET.

PROOEIUM.

Corpus humanum, quantum sensibus nostris appareat constat ex fluidis & solidis; Fluidum dicitur congeries particularum tam minimarum, ut sensus fugiant nostros, & cuius una particula facilius attractu ab altera separetur, quam ut omnes partes particulæ simul moveantur. Solidum vero vocatur, cuius partes adeo firmiter cohærent, ut una parte mota, reliquæ etiam moveantur. Copiam vero fluidorum massam solidorum longe exceedere docent vulnera minima, microscopia, atrophia & exsiccatio per ignem, quod eo magis verum esse, quo animal suæ origini est proprius, manifestum est; simul ac enim infans natus est, urachus, (si in homine adsit, ut quidam volunt) canalis arteriosus & vena umbilicalis concrescunt in ligamentum. Solida ex vasculis, vascula ex fibris nervosis constare docent Clarissimi Ruyschii injectiones Anatomicæ, & per illustris Malpighii experimenta, quæ animal in prima sua generatione, nil esse quam carinam cum adhærente cerebro & cerebello demonstrant; docet enim hic egregius vir spissum albumen ovi calore incubantis gallinæ adeo tenue reddi, ut per vascula minima transire possit, in hisque iterum magis magisque attenuari. Continuo igitur hoc motu vascula extenduntur, ergo major fit superficies, hinc vascula debent, aut destrui aut continua aliarum particularum appositione augeri, quod vero non destruantur, sed modo augmentur, patet ex incremento; quamobrem ex fluidis quædam particulae solidis apponantur, necesse est, ergo hæc solida in prima sua Origine fluidis quam simillima sunt, & non differunt nisi motu & quiete. Hinc clarissime patet, incrementum solidorum nil esse, quam vasorum extensionem, fluidorumque appositionem. Id circo post aliquod temporis intervallum vasorum minimorum diameter nimia extensione debet mutari, unde solida assiduo redundunt compactora: & sic ex vasculis fiunt vasa, ex vasis membranæ, ex membranis cartilagine, ex cartilaginibus tandem ossa. Ex his dictis apparent, quæd

in prima ætate à partibus fluidis proveniant Morbi, quia vasa nimirum tenera à minimâ causâ afficiuntur, unde convulsiones, diarrhææ, & vomitus; hinc attende tantummodo B. L. quot & quam diris tenella ætas obnoxia sit malis; vix in lucem prodit infans, quin ejulando & clamando tormina & dolores, quos ob retenti Meconii acrimonia sentit, adstantibus indicare videatur. Quam sœvis flatibus, torminibus & cruciatibus laborantem recens natum vidi-
mus, ubi nutricis lac (tenelli infantis pabulum) in ejus stomacho coagulatum, & in massam quandam compactum fuit. Denique dentes vix prodeunt quin acutæ sœpe lancingationes à puncturâ & gin-
givarum tensione, ut cætera non memorem ipsos infestent. Quas in-
fantum miseras Lucretius hisce sequentibus versiculis quam maxi-
me deplorare videtur.

Porrò puer, ut sœvis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni
Vitai auxilio, cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit,
Vagitunque locum lugubri complevit, ut æquum est
Cui tantum in vita restet transire malorum.
At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque
Nec crepitacillis opus est, nec cuiquam adhibenda est
Almæ nutricis blanda; atque infracta loquela,
Nec varias quærunt vestes pro tempore cæli.

quoniam ab Antiquis jam temporibus in more fuit, ut ille, qui Medicinam rite exercendi potestatem sibi acquirere vellet, prius inaugurale studiorum suorum specimen edere deberet; ideo cum mihi pro summis in Medicina honoribus specimen quoddam præfectuum in Medicina dandum & publice defendendum incumberet, inutile non fore duxi, ut aliquid de infantum lactantium Morbis proferrem; plenam enim eorum Morborum Historiam enarrare, omnia ejus phænomena à propriis suis fontibus deducere atque medelam illis in omni casu debitam tradere in me non suscipio, limites vero hujus Dissertationis neque vires meæ hoc ferrent, hinc omnia, quæ mihi obvenere & quæ maxime notatu digna cen-
sui

sui proferam, ideo 1° pauca dicam de perversa Gravidarum Mulierum Diæta, 2° de Obstetricum & Custodum errore, 3° de Glutinosis strigmentis nimis diu retentis, 4° de Meconio retento, 5° de Nutriciæ electione & Diæta, 6° de Lacte in Infantum stomacho coagulato, & ultimo de Dentitione. Hæc sunt omnia B. L. quæ ad materiam explicandam necessaria esse duxi, stylum autem ad exactam bonæ latinitatis lancem non revocabis, sed benevole mineris, quod receptum Medicis loquendi morem sequi, simul autem genuino Latino stylo scribere contradictorium sit, Vale & cæteris bene Consule.

III

M O R B I S

МУНИЦИПАЛЬНАЯ



D I S-



DISSE^TATI^O MEDICA
INAUGURALIS
DE
M O R B I S
INFANTUM LACTENTIUM.

C A P U T P R I M U M.

De perversa gravidarum Diæta.

§. I.

Omnis mala corporis conditio vel labi hæreditariæ matrisque diætæ perversæ vel alii cuicunque contagio, cauſæve lædenti externæ debetur, vel uno verbo, est *innata* vel *acquisita*.

§. 2. De *innata* sive *hæreditaria* labe nulla est lis inter Autatores, consentiunt enim omnes, quod dentur Morbi hæreditarii à parentibus' prognati, ut Arthritis, Pthisis, Calculus, & Epilepsia; integræ enim familiae ex eadem stirpe oriundæ ſæpe eodem morbi genere vitam claudunt. Ideo optan-

z Gualth. Harris de Morbis Acutis Infantum p. m. II.

INAUGURALIS.

tandum esset, homines insigni aliquo morbo facile in posteros traducendo matrimonio abstinere ¹, donec ab illo penitus essent curati.

§. 3. *Causa acquisita* est imprudens gravidarum licet non infectarum regimen, quod indelebilem sæpe fœtui labem imprimit, ut sunt ² venæ sectiones immodicæ, aliaque Medicamenta interna varia, quibus imbecillitati virium, & ventriculi, capitis item & ventris dolori, quibus plerumque affliguntur, mederi intendunt tenellæ matronæ, mille erroribus etiam in vietu obnoxiae tot absurdis desideriis urgentur, ut farinam crudam, cretam, amurcam, cineres, carbones, gypsum, plumbum ³, pisces fluviatiles crudos, & alia similia devorantes in summis habeant deliciis; imò exstant exempla, quod mulier tempore graviditatis mille quadringentas haleces ⁴ comedenter, quem depravatum appetitum fœtui magnum adferre incommodum quisque facile intelliget.

§. 4. Ipsa sollicitudo & cura quam continuo secum agitant, ne quid sinistri nascituro, quem utero gerunt hæredi accidat, tum insigniter nocet fœtui per se, tum etiam hoc facit, ut alia accidentia noxia, qualia sunt v.g. ardens desiderium, terror & ira &c. eò magis cum fœtu communicentur. Videmus enim quod mulier imprimis fœtui ⁵ talem formam quam imaginatione fortiter suscepit, & hoc fit sæpe applicando manus ad partes in fœtu mutandas. Fæmina à mendico manum penitus truncatam sibi ostendente perterrefacta post paucos dies infantem brachio obtruncatum peperit, quem mirabilem casum nobis communicavit Cl. Vir *Hermannus Boerhaave Praeceptor meus semper colendus.*

§. 5. Aliæ mulieres omnem corporis motum sedulò vitantes, & propriis pedibus incedere recusantes, debiliores redunt fœtus, quæ dum utero gerunt, consuetos labo-

B res

¹ Daniel. Sennert. tom. 3. p. m. 116.

² Hippocrates sect. 5. aph. 31.

³ J. Dolæus in Encyclopædia Medicinæ Theoretico-practicæ p. m. 659.

⁴ Nicol. Tulpus observ. Med. lib. 2. c. 24. m. 132.

⁵ D. Sennert. t. 3. p. 116.

res (modò non nimios) peragunt. Item aliæ ventrem pristino more tæniis arctissimè coercentes, ut virgines videantur, insigne fœtui suo incommodum parant; imo abortum, licet imprudentes magis, quam callido confilio nonnunquam promovent. Ideo nullam hæreditariæ labis infantes inficiens causam existimat *Gauth. Harris* frequentiorem esse, quam quæ à Matre utero gestante communicari solet. Hisce nunc pertractatis videamus illos Morbos, quibus infans in lucem editus obstetricum & custodum errore laborat.

C A P U T S E C U N D U M.

De Obstetricum & Custodum erroribus.

§. I.

Solent aliquando obstetrices, quando infantes recens nati valdè sunt debiles, ut ejus spiritus quasi instaurent bulbos recentissimos prægrandes cepaceos per medium fissos narium foraminibus iis admoveare, quem acerrimum nidorem, ne adulti quidem ferre possint, quin lacrymæ magnâ copiâ per genas depluerent; sæpe etiam ori linguæque guttas aliquot aquæ vitæ instillant, aliaque spirituosa subolfacienda præbent.

§. 2. Placentam vivis imponunt prunis, ut sanguinem in eo contentum & ita calefactum propellant in corpus infantis ad vitam semi-mortuo suscitandam; qui plura talia erronea scire cupit, adeat auctores citatos.

§. 3. Peccimè agunt Custodes cùm tenello statim dant pultem farinæ crudæ, quæ vel cum aqua vel cum lacte subacta & cocta ac in pulmentum viscidum, crassum & glutinosum &c. redacta nil aliud est quam pasta tenax cruda & viscida utilior bibliopegis pro conglutinandis chartis, quam fusioni pro nutritione: jam vero notum est, quod farina

quæ-

I Ruysch. Adversaria Anatomica p. m. 40. & F. Mauriceau traité des Maladies des femmes grosses p. m. 482.

quæcunque cum aqua sufficienti subacta, & in loco tepido asservata sponte sua, & facile incipiat insigniter acescere, & ultra fermenti additionem fermentare; quid jam fiet in stomacho infantis, quem talis puls ingreditur, & postea lac butyrosum superfunditur? ex hoc nempe præternaturali & stomacho peregrino pultis acore emergit materia acida, & viscida, cui super ingestum lac mox corrumpitur, & in grumos caseofos coagulatur, adeoque digestio prima exinde depravatur insigniter. Unde multa infantibus oriuntur mala, ob quam causam insigniores Medici ¹ rejecerunt jam olim tales pultes.

§. 4. Deinde pessimè consulunt infantibus custodes cum pulmentum in ore tenentes salivæ commixtione ipsi fluiditatem conciliant, ex qua commixtione plurima morbosa contagia ² misellis communicantur, sic & per hanc salivam morbi lactantibus infundi possunt, quod medicorum monumenta abunde passim testantur.

§. 5. Cranium in pueris est tam molle, suturæ cartilagineæ, & locus fontanellæ dictus in concursu suturarum est instar papyri tenuis, hinc in hac ætate cranium facile comprimitur à custodibus, si ad fontanellam linteal ibi posita fortiter constringuntur, unde omnia in encephalo contenta turbantur, & sopores, convulsiones, malæ capitis formationes (hi enim homines habent capita oblonga & multùm à figura sphaerica recedentia) fatuitas, & tandem mors oritur. Illi infantes capita perpetuò moventes tamdiu fricant & plorant, donec fasciæ illæ sint deligatae, sic Cl. Vir *Hermannus Boerhaave* Præceptor meus sempèr venerandus vidit infantem ex convulsione jamjam moriturum ab his vinculis solutis penitus sanatum fuisse, hinc potius illorum capita involvenda quam constringenda sunt, ut cerebrum liberè crescere possit.

§. 6. Si in recens natis convulsiones observamus, tunc attendendum est, an aliquid de figura detractum sit, an in aliquo

I. Hildan. cent. 6. observ. 34. Fr. Mauriceau traité des maladies des femmes grosses p. m. 476. Hofferus Hercules Medic. p. 149.

2. Etmull. tom. 3. p. m. 1172.

aliquo loco sit fovea vel eminentia, nam si tale quid adest, & non animadvertisit, actum est: si vero locus intropressus invenitur, tum pilis leniter abrasis supra cutim ipsam apponatur emplastrum ex mera pice, tenax, orbiculare, tam latum ac locus intropressus, quod habeat in medio ansam, sic pars depressa iterum sursum trahatur, ut pueri faciunt, qui corio suctorio ut vocant elevant lapides ex pavimentis, illud dein emplastrum paucō butyro potest ablui, ut eō melius auferatur.

§. 7. Infantes recens nati saepe ita constringuntur fascüs, ut nullum suorum artuum movere possint, sed jaceant in rectum exorrecti stipitis instar duri absque ulla articulorum flexu, quod ideo faciunt custodes, ut ajunt, ne infantis ad huc teneri membrum aliquod luxaretur, in Asia, America & aliis locis, ubi tenelli laxis involuti pannis soli naturae committuntur, nil tamen inde mali accidit, ibique crescunt robustissimi homines, ideo non nimis constringantur, alioquin inde multa oriri possunt mala.

§. 8. Porro etiam complures in eo modum excedunt, quod infantes nimia stragulorum mole ita obvolvant ut continuo calore torreant, nec satis liberè spiritum ducant.

C A P U T T E R T I U M.

De Glutinosis strigentis nimis diu retentis.

§. I.

Gluten est corpus semi-fluidum, quod habet partes adeo cohærentes, ut quando movetur una pars, tum hæc simul secum trahat alias adhærentes partes, interim tamen non tota moles moveatur. Cum recens natus est infans, caderetur dissecatio docet, quod totus ille tractus ab ore usque ad intestina (ne vesiculis pulmonalibus exceptis) repletus

¹ Alexander Benedict. p. m. 547.

sit talibus glutinosis atque caseosis strigmentis à quorum motu & molestâ irritatione itidem ac à filo per os usque in ventriculum demisso atque motu, stimulata oris, æsophagi, ventriculi & intestinalium tenuium continuata nervosa tunica producit nauseas, vomitus, borborygmos, singultus convulsiones &c. Dein à primarum viarum inertia ob mucosam repletionem & invaginationem oriuntur assumptorum indigestiones, & multa inde sequentia mala.

§. 2. Hisce morborum causis nunc explicatis, illorum Diagnostica sunt explananda, hæc neque tam ex tenellorum urina, quæ naturaliter, pallida & crassissima unâ cum fæcibus continuò redditur aut ex pulsu, qui ex levissima causa celer est quam potius à nutricum & muliercularum iis affidentium responsis sunt extorquenda.

§. 3. Morbi §. 1. cap: IIII. descripti ab illis strigmentis ori-ri cognoscuntur, si prædicti morbi contingent statim vel brevi tempore a partu, & ante lactis usum inceperunt, si meconium per alvum excernitur & infans in vel post partum nullum damnum accepit, unde similes provenire possent morbi.

§. 4 Quod ad prognostica attinet, nisi causa illa tollatur, non tantum hi augmentur morbi, sed etiam novi superveniunt, nam lac tenellorum pabulum digeri nequit, ideo suam sequens indolem, utpote in loco calido & aëri exposito hærens transit in acidum, facitque novos morbos similes iis, qui à coagulo lactis postea describendis, oriuntur, morbus ille facile curatur, si modò in tempore prudens advocetur Medicus, hisce peractis ad curam transeo.

§. 5. In hac duæ occurunt indicationes, ut materiem illam attenuemus & detergeamus, 2 attenuatam & detersam ex corpore expellamus: primæ indicationi conducunt roborantia, resolventia & abstergentia; hunc in finem nil cibi potusve per 10 vel 12 horas infanti concedatur, hacce abstinentia occasio datur, ut stomachus respirationis motu adjutus sese contrahens agat in contentam materiam, hinc gentes Judææ &

Asiaticæ tenellis suis nil porrigentes exponunt frigido aëri, quo aucto respirationis motu ventriculus materiam hanc expellit; postea jejunis quinta quavis horâ exhibeatur parva dosis ex melle cum vino dulci hydromelle, mel enim detersit & vinum roboret.

§. 6. Secundæ indicationi satisfaciunt mitissima purgantia, quæ sola exiberi vel prioribus admisceri possunt, qualia sunt *Syrup. Rosarum solut.* Vel *violarum*, aut *mel Rosar.* *Solutiv.* qui satis purgant infantes, vel syrups cichorei cum rheo, qui, possunt in quadam aqua dissolvi vel ipsum rhabarbarum, quod medicamentis §. 5. cap. 111. admisceri potest, nil enim melius & tutius purgat pusiones quam rheum hisce modis. v. g. præscribi possunt formulæ.

Rhei el. gr. x

Sacchari albiss. 3i.

M.

Sic roborato & expurgato ventriculo, saepe totus morbus tollitur vel formâ pillularum

R. Syr. Rosar. pallid: 3ij

De cichoreo cum Rheo 3ij.

Sacchari albissi. q. f.

M. F. Pillulæ.

vel assumant

R. Mel. 3ij

vini

Væ. communis ana 3ij

M.

Dentur perpetuò bibenda.

Plerique auctores laudant in hoc casu *oleum amygdalarum dulcium cum saccharo*; sed & his non fidendum, oleum enim facile rancescendo infanti magnum malum inferre potest.

§. 7. Prosunt etiam Epithemata ex moderate aromaticis & spirituosis. e. g. ex *spiritu mastichino*, *cinnamomo*, *nuce myristica*, *macere*, *corticu aurantiorum*, *citri flavedine*, *aqua theriacali* & *vinis aromaticis*. ex his spirituosa linteis vel pane tosto excepta uti ex *vino hispanicō* cum *nuce myristica* & *pane tosto*

ex.

exceptis, vel aromata ut *absyntium*, *mentha*, *fæniculum* inter linnea duplicita posita, vel cum Vitello ovi subacta, ventriculo extrinsecus applicari possunt, vel horum loco emplastrum de Theriaca apponi licet; hac ratione fibræ stomachi roboretur agunt in motus excretorios.

CAPUT QUARTUM.

De Meconio retento.

§. 1.

Mηκωνιον à μηκων papaver, dicitur id quod ¹ papaveris vi quadam est præditum, sed hic vocatur illud primum excrementum, quod à pueris recens natis statim emittitur colore ² sanguineo valde nigrum & piceum, splendens, unde ob similitudinem Opii Veteres meconium dixerunt, cùm enim oriatur ex nutrimento fœtus in utero quasi laet eo, nil aliud esse videtur quām crudior caseus à reliqua substantia nutritiva separatus, inde occurrente in duodeno bile obscurum ex nigro viridescentem colorem contrahit; docet enim cada verum incisio; quòd in fœtu trimestri non solùm fellis vesicula bile turgida ejusque ductus adest, sed hepar pro proportione adhuc est major, ut in piscibus, & quòd animalia inertiora, eò etiam hæc viscera majora.

§. 2. Fœtus in utero materno nunquam alvum exonerat, imo si mater nono graviditatis mense moritur unā cum illo, tum etiam fœtus summis anxietatibus cruciatus tamen ne grum quidem meconii dimittit in liquore amnii, quia clausus ani ² sphincter nisi respirationis vi superari nequit.

§. 3. Infans in lucem editus statim respirans deponit materiam §. 1. c. 1 v. descriptam, quæ non tantum intestina crassa, sed etiam sœpe Intestinum ileum infarcit. Hæ fœces ubi vel à nimia fœtus debilitate vel à sua duritie, aut à nimiâ copiâ

¹ Plin. Hist. Nat. l. 19. c. 8. & l. 20. cap. 7.

² Aristotel. Hist. Animal. c. 10. l. 6.

copiâ, vel denique ob intestinorum siccitatem in eorum gyris nimis diu retentæ ideo lactis nutritivi distributionem impudentes postea pertinacem alvi obstructionem creant. Deinde tam per liberum aëris accessum corruptæ fæces viridi colore tinguntur, pessimaque excitant symptomata irritatis enim nervolis intestinorum fibris oriuntur Flatus, Ructus, Borborygmi, Nausea, Vomitus, Singultus, Clamores, Pervigilia, Convulsiones, Macies & tandem Mors.

§. 4. Tenellis nuper natis in his regionibus præsertim saepe accidunt ventris tormina, à quibus perpauci evadunt infantes, qui dolores terminosi oriuntur à tribus causis vel 1° à frigore, 2° à flatibus, 3° ab humore acido.

1°. Quòd hoc à frigore contingere possit unicuique satis notum est.

2°. *Flatus est aëris elastici intra duo interstitia contracta intestinorum contentio, si in uno loco quiescit dicitur flatus, si verò cum sono & impetu audiatur, vocatur borborygmus.* Hanc materiem nempe aëream in intestinis esse præsentem docet Wepferus, quòd verò hi semper non fiant, est inde quia semper non adest causa intercipiens aërem, ut rarefiat. Quòd flatus intestina distendere ventrisque tormina creare possint, probant cadavera infantum post mortem apertorum, ubi non solum intestina flatibus fuerunt distenta, sed & ipse quoque ventriculus, ita ut abdomen ¹ instar Tympani fuerit extensum.

3°. Nemo inficias ibit, quòd homines laxi uti infantes imprimis qui nil nisi acescentibus utuntur, temperiem acidam habeant, fœces eorum fere semper acidum spirantes hoc perfectè demonstrant.

§. 5. *Vomitus oritur ab acri quadam materia vellicante fibras intestina, ventriculum, æsophagum constituentes, ab inferioribus sursum, quod patet ex elegantissimis Wepferi & Peyeri experimentis in animalibus institutis, sed hæc definitio multis non satisfiet, nam Dominus Chirac Gallorum famosissimus Medicus vult hic convelli decem musculos abdominales unâ cum*

¹ Fabric. Hildan. c. 6. obs. 74.

cum Diaphragmate, quod non nego, sed primam causam esse harum fibrarum irritationem, & motum peristalticum inversum existimo, si hoc enim verum esset, tum os *Æsophagi* deberet deorsum ire, quod contra accidit, hinc ad *Æsophagi* initium dolores, ventriculus contrahendo se contenta expellit, uti *Wepferus* in brutis vedit, tum Musculi abdominales premunt ventriculum sursum & Diaphragma deorsum, sic præli instar contenta expelluntur.

§. 6. Dein fiunt etiam tusses ab irritatione intestinorum bronchiis communicata: nam sicut intestina cum reliquis ab dominis visceribus suos à pari vago & intercostali habent nervos, sic etiam pulmones suos; fiunt etiam sternutationes ob intestinorum stimulum per nervum intercostalem communicatum Membranæ Schneiderianæ, quæ præter magnum olfactiorum Nervum accipit etiam à primo ramo quinti paris ramum ex unione cum nervo paris sexti, à quo nervus intercostalis suam habet originem.

§. 7. Pervigilia oriuntur à nimia determinatione liquidi nervosi ad organa sensuum; ab irritatis nervis reliqua ut clamores, terrores, febres per se intelliguntur; fit macies ob nutritionis defectum & tandem mors.

§. 8. Visis hisce symptomatibus ad Diagnosin accedamus. Cognoscitur morbus oriri à meconio nimis diu retento, si infans fœces coloratas instar Opii, & splendentes, tenacesque picis ad instar magnâ copiâ non deposuit. Cognoscitur ex debilitate retineri, si infans vel nullos vel valde exiguos ad deponendam alvum edit nixus. Meconium retentum ex sua duritie scitur, si in hypogastrio sentitur durities quasi tumor in illis locis hæreret. Ex copiâ nimiâ retentum deprehenditur, si in iisdem locis sentitur tumor tactui cedens. Denique ex intestinorum siccitate retentum appetet si fœces rejectæ crepant.

§. 9. Quod ad prognosin attinet, si non liberatur infans, morbi inde oriundi non tantùm increscunt, sed etiam novi producuntur, nam intestinorum fibræ à nimiâ & diuturnâ distensione elasticitatem suam amittunt, unde illorum para-

lysis necessariò sequi debet; inflammationes, gangrænæ tum à compressione, tum præsertim quidem ab acrimoniâ, & similia mala. Hinc si Meconium tempestivè vel per assumpta vel matris lac evacuetur ab omnibus hisce malis possunt præservari.

§. 10. Morbi ex Meconio nimis diu retento ex quatuor causis §. 3. c. 14. allegatis originem sumentes etiam quatuor in curatione habent indicationes, 1. Vim expellentem nimis debilem corrigere, 2. Excrementorum duritiem emollire, 3. Nimiam ejus copiam expellere, 4. Sicca intestina lubricare & demulcere. Ad primam indicationem nil melius est, quam quod infans lac maternum in primis diebus magis serosum sugat¹; sed multæ matronæ id negligunt falso hoc præjudicio ductæ, quod sanguis puerperæ recens enixa sit impurus, adeoque & lac ejus, quod tum colostro caret, malum & nutritioni ineptum. Id ipsum verò provido naturæ consilio contingit, ut virtus huic lacti inesset, quâ fœces per aliquot (dum in utero latitarent tenelli) menses congestæ eluerentur. Lenia etiam purgantia huic conducunt v. g. Syrup. rosarum Sol utivus sine vel cum senna, Cichorei cum Rheo, Violarum, Cassia recens, mel Mercuriale, Album, Manna Calabrina, Rheum, Agaricus, Sapo venetus. Ex quibus variæ possunt concinnari formulæ ut v. g.

R. Rhei el. gr. v.

Cassiae recent. gr. ij.

Syr. Ros. rubr. 3ij.

exactè contritis adde

▽ stillat. menthæ 3ij.

M.

Pro una dosi.

vel R. Rhei. el. gr. x.

Sacchari el. gr. xx.

Conterantur in pulverem impalpabilem, dentur in lacte, hoc est consuetum remedium Clarissimi Viri Hermanni Boerhaave
bujus

¹ And. Spigelius de Form. fœtus c. 13. p. m. 17. & Fr. Mauriceau traité des maladies des femmes grosses p. m. 474.

hujus Academiæ illustris decoris & quo Præceptore me fuisse usum
haud in postrema felicitatis meæ parte repono. Si infans per
quatuor dies non dormivit, jam somnum capiet, Mulieres
tunc putant infantes assumpsisse Opium, in quo maxime er-
rant, hoc enim tantum sustulit causam impedientem som-
num.

$\beta.$ Lenia suppositoria v. g. *sapo venetus* redigatur in conum,
qui ano intrudendus est, vel globulum exiguum, vel conu-
lum factum ex *Saccharo* coniformi vel *sebi candelarum* parum,
vel *mel* ad debitam duritiem coctum, & in parvum conum
formatum oleo illiniendum.

$\gamma.$ Cardiacum gratissimum & mitissimum ex melle, *vino Hispanico dulci*, *aqua cinnamomi debili*, sed aquam hanc prius
examinare debet prudens Medicus, si enim ejus destillatio
nimis diu fuerit protracta; acida fit, & alembicum inter
transendum corrodens colorem viridem contrahit, unde
pessima oriuntur mala (quod *Celeberr. Vir Hermannus Boer- haave* Præceptor meus omni laude mea major nobis in Chemicis
communicavit) quæ omnia supra dicta cum ovi vitello misceri
possunt v. g.

$\alpha.$ *Aqua stillat. cinnamomi 3j.*

Vini Hispanici 3ij.

Vitelli ovi n° 3.

M. F. Haustus.

Secundæ indicationi conduit a potus lenissimè laxans v. c.
ex *sero lactis cum paucō melle*, quod diluit, laxat, parùm stimulat, & simul nutrit; Rhabarbarum hoc in casu non con-
venit, quia vim infert intestinis quippe materiæ tam duræ
promovendæ imparibus.

$\beta.$ Enema simile ex Emollientibus additis blandè pur-
gantibus v. g. ex *sero lactis cum melle* vel *sapone veneto* semel
vel bis de die injiciendum.

$\alpha.$ *Mel. 3j.*

Saponis venet. 3j.

\triangledown *Hordei 3ij.*

M. F. Glysma.

C 2

Tertiæ

Tertiæ indicationi eadem quæ in prima commendata sunt
remedia convenient.

Quarta absolvitur indicatio & exhibito *oleo recens expresso*
Lini, Olivarum, Amygdalarum dulcium, quæ sola possunt adhi-
beri vel misceri quibusdam syrups v. g. *Syrup. Violarum,*
Glycyrrbizæ, capillorum Veneris, Althææ Fernelii, Sympbyti
Fernelii &c. qui Syrupi habent in se quandam mucilaginem,
quâ partibus applicati adhærent v. g.

R. *Olei Amygd. D. r. Express. 3j.*

Syr. Capillorum Veneris 3ij.

M. F. Haustus pro una dosi.

B. Injiciatur quotidie clyisma ex similibus. v. g.

R. *Olei lini 3ʒ.*

Vitelli ovar. n° ʒ.

Mel. Mercurial. 3ʒ.

Seri laetis recent. 3ʒ.

M. F. Clysmæ.

γ. Similibus inungatur abdomen. v. g. fiant linimenta
ex *oleo cocto Parietariæ, Malvæ, Althææ*, vel un-
guento *Althææ & similibus*, his singulo manè & vesperi
illiniatur abdomen. Hæc emolliunt & lubricant, caven-
dum autem ab aromaticis & adstringentibus. Hinc pes-
simè infantibus suis consulunt *Mulierculæ*, quæ iis modo in
lucem editis *Vinum rubrum, succum Rutæ, semen Anisi, Carui &*
similia exhibit ad flatus discutiendos, vel convulsiones ab-
his provenientes avertendas, quæ tormina & reliqua omnia
mala ex meconio retento vel aliunde, testaceis exhibitis æque
*demulcentur (teste *Doctissimo Harris*) ac dolores & vigiliæ*
adultorum ipsis Narcoticis ad tempus tolluntur. Hinc ante
omnia acidum corrigere vel tollere debemus Medicamentis
Antacidis sic dictis §. v. c. vi. describendis imprimis illis, quæacidum absorbent, v. c. Coralliis, Matre perlarum, Oculis &*
*Chelis cancerorum & similibus.**

R. *Conchæ mytulorum.*

Mandibul. Lucii piscis.

Corall.

Ostro-

Ostracoderm. ostreor. ana 3j.

M. F. Pulvis.

Dosis gr. viij. bis vel ter de die.

Si Medici ab his non exspectatos videant effectus, hoc inde fit, quia non satis diu nec in sufficienti quantitate, ut recte notavit eruditissimus Harris, illa propinat, nam quid juvat præsens acidum auferre, nisi novum fieri impediatur? Hinc dentur illa absorbentia ter quaterve de die, donec omnia acidi signa evanuerint; vitentur omnia nimis stimulantia, calida, seu volatilia, seu fixa, item Opiata, quæ raro & non nisi cum magna prudentia sunt exhibenda, nam ab Opio exhibito infantes tota vita fatuos mansisse visum est. *Clarissimus Sylvius de le Boe* post *Basilium Valentini* & *Raymundum Lullium* fuit primus, qui optimum (ut dicit) remedium invenit salem volatilem oleosum, Medicamentum quidem in affectibus hysterics & in quadam specie scorbuti optimum, sed in infantibus valde noxiū, cujus effectus ipse expertus est, cum dicit se dolere Filialam suam esse mortuam, licet ei magnam copiam salis volatilis oleosi propinaverat: idem dicendum est de Opiatis, quæ non nisi in summis doloribus, atque convulsionibus sunt danda, & quidem tum illa lenia, v. g. *Syrup papaveris albi, erratici, Diacodii &c.* quæ aquâ dilui & per vices exhiberi possunt.

Quod attinet ad illa nugamenta (Amuleta dicta) commendata à practicis, quæ pueris epilepticis collo suspendebantur inter quæ est Radix *Paeoniæ* à Galeno tam laudata, & *Smaragdus*, *Corallium seseli*² & *viscus quercini* illis fidem adhibere non possum.

Vix inter centenos reperiri licebit infantes mortuos, qui non convulsionibus, vel illis certe supervenientes extincti sunt, imo sunt familiæ, ubi aliquot successivè epileptici mortui sunt infantes paucò tempore à partu, ita ut desperabundi parentes (imprimis Florentini) recens nato inustionem ferro candenti vel particulâ ligni igniti inter primam &

C 3

secun-

¹ Gualth. Harris de morbis Acutis Infantum p. m. 36.

² Arnold. de Villa Nova de Epilepticis c. 1.

secundam vertebram colli¹ instituerint, unde habuerunt (ut ajunt) bonos successus; alii ut² *Willisius* fontanella in nucha mox à partu adhibita sanguinem ad uncias duas hirudinum suetu detrahunt, quæ tanquam specifica infallibilia laudantur, præsertim in iis hæriditario huic morbo abnoxiis.

Cum infantes dentibus non sint instructi neque viscera sati fortia habeant, ut cibos crudos concoquere possint, ut potè in utero materno solo matris sanguine nutriti, ideò Deus mammas fæminis dedit, ad quas sanguis chylosus antea ad uterum ferri solitus, post partum, aditu hic denegato, defertur, quem infans recens natus naturæ instinctu statim è mammis sugit, ideò de Nutricis electione & Diæta est aliquid dicendum, antequam de lactis vitiis agamus, totam enim infantis salutem à nutricis sanitate dependere extra controversiam est.

C A P U T Q U I N T U M.

De Nutricis electione & Diæta.

§. I.

Primum vitium quod in infantes recens natos committi videntur, est quod eos nutricibus tradunt aleundos, unde fit, quod tenelli³ pulsiones laetè alieno, & à sanguine succisque maternis, quibus jam in utero nutriti fuerant, longe diversis lactati hac solâ mutatione contra naturæ instinctum factâ, morbidi & adultiores facti valetudinarii sunt. Nutricis vero lac, quamvis sit optimum tamen semper est aliqua differentia⁴ inter temperamentum matris ac nutricis. Taceo, quod lac nutricis vel annosioris, ac mater infantis est. Vel jam pri-

¹ Joan. Baptist. Cortes. tom. I. pag. m. 219. & P. Forest. I. ix.
p. m. 262.

² Willisi Opera Omnia Medica p. m. 25.

³ P. Forest. observ. Med. lib. xxviii. p. m. 775.

⁴ J. Bohnius de Officio Medici Duplici p. m. 386.

ptidem enixa sit crassius, & gravius, quam ut à tenello homunculo probè digeratur. Omitto testimonium *Clarissimi Medici Angli Bellingeri*, qui dicit; quod inter plebejos longè majorem liberorum numerum reperias, ac inter altioris fortis homines: hoc inter alias causas, & huic potissimum rationi debetur, quod ditiorum infantes aliena, pauperes verò Matrum Uberta sūgant; hinc¹ *Phavorinus Philosophus* suadet matri cuidam, ut infanti ipsa mammae præbeat, si matris officio fungi velit, *Scipionem Africanum* dixisse ferunt, ego magis mihi judico esse matrem, quæ et si me non peperit, per biennium me nutrita.

§. 2. Multæ Delicatulæ puerperæ, quæ lac infanti dengant ex ejus retentione complura sibi mala adsciscunt, præprimis Febres, Tumores, Scirrhos, & Cancros mammarum insanabiles.

§. 3. Sunt tamen, quæ ob varia, nunc non recensenda incommoda lactare non possunt, hæ vero certe paucæ, imo teste *Bellingeri* inter mille mulieres vix unam numeres, quæ sonnicam ob causam id negligat.

§. 4. Si infans tamen necessariò nutrici est tradendus, tum hæc sit colore roseo in flore ætatis scilicet ab anno 2⁴⁰ usque ad 3^{um} à partu non ultra aliquot septimanæ distans, fortis, ac robusti colli, musculosa; non obesa, nec gracilis, cuius mammæ solidæ ac firmæ sint, medium² magnitudinem, modicam duritiem obtinentes, quæ sit bonis moribus³, non iracunda, melancholica, sed hilaris, nec lusca, ne infans huic vitio assuecat.

§. 5. Lac ejus debet esse album, inodorum fere dulce saccharinum, non crassum, sed mediæ consistentiæ, quæ vulgo ita dicitur cum patinæ, ungui, vel specillo instillatum subsistit, id est nec statim diffundit, nec inclinatum immotum hæret, vel juxta Aëtii sententiam cognoscitur, si pilo ei immerso æqualiter adhæreat, si vero nimis tenue pl-

nè

¹ Aul. Gell. lib. 12. c. 1.

² Erotis de pass. mul. c. 19.

³ J. Bohnius de Officio Medici Duplici p. m. 386.

nè diffuit. Sunt enim mulieres, quarum lac tantâ acrimoniâ falsâ vel causticâ præditum est, ut una gutta linguæ imposta vehementer mordicet, ut tales mulieres *Clariss. Vir Hermannus Oosterdyck Schacht.* præceptor meus pro meritis nunquam satis laudandus, invenit.

§. 6. Plurimæ nutrices 24 horis à cibis abstinent antequam se Medicorum examini subjiciunt, credentes suum lac hoc jejunio melius futurum, in quo maxime errant; constat enim per experimenta ¹ Anatomica, quod si animali cuicunque post abstinentiam 24 horarum sanguis è quacunque vena vel arteria depromatur, serum urinosum, falsum, ingratum, flavescens, brevi fœtens loco chyli lactescentis, qui post 5 horarum abstinentiam observatur, sanguini supernabit; quod lac infanti abominabile ita factum est, quia chylus, ex quo secernendus erat, nunc debito plures circulos peregerit cum sanguine, & hoc passim Observatores ² docent. ex his dictis patet lactationis tempus esse optimum post quatuor aut quinque horas a cibis captum.

§. 7. Si nutrix nihil acidi vel in cibum vel in potum sumat, nimirum si ab omni vino, cerevisia, omnibusque in genere vegetantibus abstineat, tantummodoque meram aquam vel jus carnium pro potu, carnes autem & pisces pro cibo accipiat, ejus lac vix acescit, sed putrescit potius, & fætet instar urinæ atque infans lacte hoc pastus ut plurimum febricitabit, ut sæpenumero solent divitum infantes, quorum nutrices præpostera matrum cura ab omni cibo potuque acido abstinere coactæ, solis carnibus, earumque juscullis vescuntur, in horum infantum levamen debent præscribi nutricibus Decocta oryzæ hordei, & similium cum lacte ebutyrato simul, & abstinentia ab omnibus facile alcalescentibus: è contra infantes pauperum quorum nutrices maxima ex parte acescentibus sustinentur, minus febricitare solent, sed

¹ Richard. Lower de Corde cap. 5. p. m. 238.

² Thom. Barth. De Lact. Thorac. c. 13. & cent. I. hist. 17. P. Borell. Cent. I. observ. 25. & variis in locis in actis philosophicis.

sed plurimis ab acido ortis affligantur malis; in horum levamen jura carnium sunt Matribus propinanda: ex quibus facile colligere possumus qualis diæta infantium ægrotantium nutricibus sit præscribenda.

§. 8. Si mulier laboret acido, vel ejus lac sit nimis aceſcens, tum procul dubio etiam infans acido est laboratus, ideo illæ mulieres niſi curentur, nutricum munere fungendo sunt impares: lacte enim acido facto & coagulato tubuli galactophori obſtruuntur, hique distenti intumescunt, hinc acidum tractu temporis corrosivum redditum tumores cancroſos §. 2. c. v. producit.

§. 9. Vitet nutrix animi pathemata, imprimis terrorem & iram, quia spiritus animales totumque genus nervosum inde afficiuntur, hisce mediantibus massa sanguinea, & reliqua corporis contenta liquida commovendo maxime alterantur, & hac ratione lac corrumpitur.

§. 10. Plerique Auctores volunt, ut nutrices toto lactationis tempore à Venere se abstineant, quia coitus (ut ajunt) menses irritans lac² corrumpit,³ & coagulat.⁴ Martianus tamen hanc regulam non approbat, postquam enim modum, prout sentiebat, quo in gravidis & puerperis lac generetur, indicaverat, hæc subdit verba. Quæ si vera sunt, non recte sentire videntur illi, qui coitum nutricibus prohibent, lac inde vitiari existimantes; coitu enim mediante motus concitatur in utero, à quo lactis generatio dependet, & ex coitu alacritas inducitur; mulieri, unde venulæ laxantur, ut dicit Divus⁵ Senex. Quæ ad lactis ubertatem ac bonitatem plurimum conferre indubitatum est, imo si Veneri affuetas abſtentia tantopere laedit, quod viro orbatæ quotidie experiuntur, quæ variis morborum generibus fiunt subjeſtæ, nutrices à proprio viro penitus segregare non eſt tutum. Alioquin fit ut vetitos hymenæos magis appetant,

D

tant,

¹ Nuck. in Adenographia p. m. 21.

² Etmull. tom 3. p. m. 1162.

³ Gal. de Valetud. tuend. c. 9.

⁴ Martianus de Natura puerorum vers. 250.

⁵ Hippocrates de Morbis Mulierum lib. I.

tant, ac perversas curas animo diu noctuque versantes in hystericas¹ passiones easque vehementes prolabantur; tamen non nego, quod si lactans conceperit, non nisi pravum alimentum suppeditare possit, & quin subito ablactandus sit infans seu alteri nutrici tradendus.

§. 11. Caveat nutrix à potibus nimis spirituosis; sic enim infans cum exsuxisset lac ex mammis nutricis, quæ paulò ante vinum magnâ copiâ potaverat titubare & inebriari visus est. Nam assumptorum vis & odor lacti communicatur, uti alliorum & ceparum odor saporque &c. in lacte recenti deprehenduntur, & nimis eorum usus infantes² stultos efficit.

§. 12. Ex his dictis appareat pro varietate assumpti lac post aliquod tempus albescere vel flavescere, quomodo etiam effectum Medicaminum édat per omnia experimentorum genera notum est: exempli loco fit illud, quod narrant Ephemerides Germaniae de nutrice, quæ contra Melancholiam usâ erat parva copia succi Hellebori nigri, ut purgaretur, post quadrantis horæ spatium infanti exhibuit mammas, qui sugens illud lac eo succo imprægnatum ad mortem usque purgatus fuit, nullo pharmaci effectu in nutrice ipsa edito. Hinc patet, quâm malo & incerto consilio agant illi, qui infantes mediante nutrice purgare volunt, remedium enim potest vel magis vel minùs alterari in stomacho nutricis, hinc citius vel tardius³ purgabitur infans; denique propter summam incertitudinem dosis, quæ in tali casu ad tenellum certò determinari nequit, & metum ne plus debito purgentur pulsiones, hinc minùs hoc negotium tutum esse existimo.

§. 13. Luem⁴ Venereum per lactationem fugenti tenello communicatam esse prostant exempla: licet contrarium semel observaverim in collegio práctico *Clariss. Viri Hermanni Ooster-*

¹ Bernard. Ramazzinus de Morbis Artificum c. xix.

² Christoph. à Vega de arte Medendi p. m. 237.

³ Bartholinus Cent. 2, Histor. Anat. 93.

⁴ Christoph. Joh. Langius in Dissert. de requisitis bona nutricis

⁵. 33. Laz. Rivers Observat. 65. cent. I. & obs. 95. cent. II.

Oosterdyck Schacht Praeceptoris mei semper venerandi, ubi mulier lactans lue venerea adeò erat inficcta, ut velum pendulum palatinum fuerit perforatum, tamen infans incolumis evasit.

§. 14. Nec tantum morbos, sed etiam naturam & animi pathemata nutrices per lac infantem transplantari observarunt¹ Auctores; *Helmontius* enim narrat nutricem avaram, salacem, furtivam, iracundamque suam fragilitatem translusisse in puerum: Rustici quoque testantur oves, si lacte caprino educantur, lanam præbere asperrimam, si autem vera sit relatio *Flori*² relictis catulis Lupam secutam vagitum ubera admovisse infantibus nempe *Romulo* & *Remo*, & Matrem se gessisse, non mirum est, eos fuisse tam feroce.

§. 15. Tandem caveat nutrix, ne manus aquæ frigidæ multum immersat, cum quotidie observemus, inde excitari Ventris tortura in infantibus præsertim si paulò post tenello mammas præbeat, quibus non raro succedunt convulsiones.

CAPUT SEXTUM.

De lacte coagulato.

§. I.

Omne lac humanum & brutorum habet hoc proprium, quod butyrum & serum facilè abeat à parte caseosa, quæ compingitur in coagulum crassissimum, quod sæpe tenellis accidit tribus de causis, 1°. Ob debilitatem infantis, unde alimenta sequuntur suam indolem, 2°. Quia nutrix a cido nimis laborat, quod in capite præcedenti satis explicuimus, 3°. Ob sæpius repetitam lactationem; si enim ingерatur lac novum priori nondum concocto, sed in Ventriculo

D 2 sub-

¹ D. Dolæus in sua Encyclopœdia p. m. 707. *Helmontius* de infant. nutrit. ad vitam longam p. m. 623.

² *Florus* lib. I. c. I.

subacido factō, à superventu novi lactis grumescit, cascescit, vel abit in mucilaginem acidam, viscidam & tenacem, atque sic unum corruptit alterum, ex hisce patet, quod nutrix infantem suum nimis alendo s̄æpe interficit, ut recte observavit ¹ Kerckringius. Unde ab hac inordinata ingestionē ventriculus infarctus ab acredine materiae acidae omnia vomitu rejicit, quā de causā stolidae matres lætantur juxta illud vulgatum, pueri qui vomunt, crescunt; præstat sanè hic peccare in defectu quām in excessu, cūm repletiones ad extremum productæ graves ² esse soleant.

§. 2. Materia illa sensim acidior acriorque redditā producit infinita mala, scil. fœces alvi virides, acidum spirantes ob indomabilem ejus acidi naturam; tormina propter intestinorum roſionem & expansionem à materia illa acidā, cum aperta sunt cadavera infantum convulsivorum, & : maxima anxietate mortuorum, ubi hærebat materia adeò acida, acris & dura, ut stomacho & intestinis excoriatis nec dissolvi, nec excludi potuerit; quæ dum rarefacta superat ventriculi orificia, facit ructus, si ani sphincterem flatus, nonnunquam producit diarrhoeas, quippe stimulatā intestinorum tunica nervosa copiosius excernitur liquidum; s̄æpe etiam totum intestinorum tractum ita claudit, ut admissione assumptorum impedita infans fiat atrophicus; ab hoc coagulo chylus paucus qui adhuc conficitur, & ad sanguinem pervenit, debet quoque esse acidus, humoresque inde confecti acescentes, ideoque prædominium acidi per totum corpus efficit pallorem subviridescentem, pustulas rubras, hinc inde per superficiem corporis dispersas; aliquando ab infarcto duodeno vel ductu choledoco bilis in hunc influi non potens regurgitat in hepar, unde fit Icterus, & excrementa alba cineritia, minusque solito tincta apparent, creat etiam tussim siccām, & s̄æpe suffocativam propter humorum acrimoniam bronchia continuo irritantem, inde fiunt Ejulatus, Anxietates, Inquietudines, Dolores, Vigiliæ, Deliria, Febres, Convulsiones irrita-

¹ Th. Kerckringius observ. anatom. 40.

² Hipp. sect. I. aph. 17.

ritato genere nervoso, & tandem Mors. Quæ omnia ex hisce enarratis facile quisque percipere potest.

§. 3. Morbi hi §. 2. descripti originem suam debere lacte coagulato cognoscitur, ex siccibus acidum spirantibus, ructibus acidis, totius corporis pallore, & præsertim ex fragmentis caseosis viridescentibus æruginosis per vomitum rejectis.

§. 4. Eadem ferè dicenda sunt de hoc morbo, ac dixi de meconio diu retento, si illud non educitur, tunc morbi inde dependentes augentur, & novum ingestum lac abit partim in serum, §. 1. c. vi. partim in colostrum pergameni ferè duritiei, unde tunc magna sequuntur mala imprimis ventriculi erosiones ab acido corrosivo facto, & hinc cardialgiæ ferè semper lethales, convulsiones, & tandem mors.

§. 5. Quoniam humorum aciditas est causa primaria morborum, quibus tenelli infantes vexari solent; hinc tota cura in acido expugnando versatur, ut hoc optimè fiat duæ requiruntur indicationes, 1º. Acrimoniam acidam esse tollendam, 2º. Coagulum resolvendum, & sic resolutum esse expurgandum. Prima indicatio absolvitur absorbentibus antacidis fixis, ut *a*, *oculis* & *chelis cancrorum*, *testa ostrrearum*, *concharum*, *osse sepiæ*, *putaminibus ovorum*, *coralliis*, *corallinis*, *margaritis*, *matre perlarum*, *lapide bezoar utroque*, *cornu cervi usto*, *unicornu*, *osibus siccis piscium*, *mandibulis Lucii*, *concha mytulorum*, *ostracodermatibus*, *bolis armenis*, *terris sigillatis*, *lemniiis*, *figulinis*, *omnibus terris argillaceis*, quæ quo plus exustæ & tenues eò magis absorbent, quæ absorbendi potestas dependet ab eo, quod in iis sint pori angustissimi inter quos terra ob ramositatem intrare nequit si quis formulam desiderat potest sumi v. g.

Rx. *Corall. Rubr.*

Margaritar.

Boli armén.

Cretæ ana Zij.

Pulvis è cheli & cancror.

fideliter præparat. Ziß.

M. F. Pulv.

D 3

Capiat

capiat gr. viii. bis vel ter de die.

Secundæ indicationi satisfiet & resolventibus & saponaceis internis v. g. *Sapone Veneto*, *bile imprimis Anguillæ*, quæ in paludibus semper hærens nullam circulationem ferè habet, & tamen est valde rapax: sic & *fel animalis* non respirantis, dentibusque & ventriculo musculo carentis, est summum resolvens; quod fel sic præparari potest, si panis lacti immergatur, & maceretur, donec in illo fiat foveola, cui imponitur gutta bilis, tum detur in lacte, hoc potest quinques vel sexies repeti, prout res exigit: quod autem bilis optimè resolvat caseum istud patet in vitulo, cui in ventriculo quarto nunquam caseus invenitur, hinc illa in hoc casu pro summo arcano haberri potest. vel dari potest sapo venetus, unde formari possunt pillulæ inauratae cum mica panis & paululum aromatis aliter assumere nolunt; si hoc admiscetur cum bile tanto melius erit.

$\beta.$ Salinis compositis v. g. *sale ammoniaco*, *sale gemmæ*, *nitrī* &c.

$\gamma.$ Illis, quæ simul levi adstrictione purgant, v. g. *Rheo*, ex his cum quodam syrupo & aqua concinnari potest mixtria, vel alia pro re nata formula v. g.

$\alpha.$ ∇ *fæniculi* $\frac{3}{4}$ *vj*

Sapon. venet. $\frac{3}{4}$

Rhei el. $\frac{3}{4}$ β

Ocul. cancri. $\frac{3}{4}$

Syr. è ζ *Rad. aperient.* $\frac{3}{4}$

M

Sumatur ter de die cochleare j.

2. Clysmatibus ex Diluentibus additis paucis Stimulantibus & Purgantibus ex manna, cassia, syr. Ros. cum senna vel clysmate ex lacte cum Oleo Therebinthinæ, & similibus ingredientibus, 3. Carminantibus blandis v. g. aqua cinnamomi, menthæ, lavendulæ, fæniculi, liliorum convallium &c. 4. Oleosis internis §. 10. c. iv. ad quartæ indicationis indicata descri-

scriptis & externis v. g. *oleo infuso chamæmeli, aneti, rutæ, absynthii &c. oleo presso nucis myristicæ, lauri, maceris, palmæ &c. unguento nervino, martiato &c.* optimè his medicamentis curantur, hinc licet convulsiones sublatæ sint, tamen à remediorum usu non est abstinentia, donec ne minimum symptomata urgeat.

CAPUT SEPTIMUM.

De Dentitione.

§. I.

Dentes in fœtu alveolis suis adhucdum latitantes, accurato si subjiciuntur examini stupebit indagator, & in summam maximi rerum Creatoris admirationem rapiatur necesse erit: mirum hic naturæ prodigium oculis exhibetur non dentes inveniuntur, verùm¹ frustula mollissima figura ferè quadrata sine ullo radicum vestigio, in superiori parte quædam exigua admodum tubercula ex lateribus germinantia, media vero parte paululum depressa, deinde in paulo proiectioribus videtur ex inferiori talis frustuli parte oriri tubulus, ex quo nonnullæ tenerimæ quasi fistulæ emittuntur, quæ sensim concrescentes radicem formant; quod assertum veritati plane congruere satis cuique notum est, si recens nati dens examinatur, apparet tunc perfecta fere dentis forma, quæ adhuc nondum satis excrevit, & totus etiam tunc mollis innumerisque² vasculis refertus invenitur.

§. 2. Hæc vascula uno eodemque ordine ingredientur mammillas, per cellulas osseas spargunt varia variæ magnitudinis filamenta membranacea cum vasculis capillaribus, quæ se variæ

¹ Marcell. Malpighius in posthumis p. m. 71. Barthol. Eustachii opuscula de Dentibus. c. 17. p. m. 51. Dominicus Gagliardi de Ossium Anatome c. 2. obsf. 2. p. m. 57.

² Ruyfch. Th. I. p. m. 48. & 49.

riè implicando rete vasculosum quoddam conficiunt, de quo iterum iterumque innumeræ secedunt vasculosæ propagines, quæ alveolos per varia, quæ ab omni latere obtinent foraminula ingrediuntur, & in ipsis membranam constituunt, hæ rursus duas efformant lamellas, uni eidemque usui destinatas, scilicet dum separant a sanguine succum dentificum, ut verò Lector ideam hujus membranæ habeat, dentem juniores excavatum sibi concipiat, & supponat, quod hæc membrana eum exterius & interius obducat, quod illa, ubi temporis intervallo radices dentium provenire debent, sibi continua sit, & quadratum basios undique tegat: hanc ego membranam primum dentium statuo esse rudimentum, quæ basis dentis formam obtinens succum dentificum ab ea separatum inter suas lamellas five duplicaturam accipit, ubi in lamellam tenuissimam basin dentis describentem coagulatur prima bractea coagulata, aliæ ei ex eodem fonte successivè succrescunt: hoc tamen observari debet, quod succus separatus ob fluiditatem non statim aliis lamellis agglutinetur, sed post aliquam ibi contractam moram, requisitas qualitates se interstitiis fibrosis jam formatarum lamellarum assimilandi, induit, & sic deinceps basis dentis à variâ successivâ squamularum appositione formatur, antequam radicum vix ullum vestigium appareat, quod unicè de alveoli figura dependere videtur, qui non major in juniorum mandibulis existere potuit respectu dimensionis maxillæ, si enim cum uno quoque dente etiam statim generarentur radices, maxillæ molem majorem exigerent; alioquin certe nec fundamentum stabile eorum officio obeundo tam necessarium haberent dentes, nec locus secundi germinis alveolis daretur, & hæc est ratio, quare Natura inverso quasi ordine, in dentium genesis incedit, proferendo basin ante radices.

§. 3. Basis dentis inde mole aucta, illic ubi exitus ipsi facilitetur, inclinatur, cui nulla commodior conceditur via, quam circa gingivas, hic enim nulla pars ossæ obstat, & quam primum dentis corona extra gingivas prorumpere incipit, vestigia etiam radicum in dentibus conspicuntur;

scd

sed tamen non, antequam novi germinis alveolus basi dentis jam erumpentis extra gingivas, in locum quem pro parte amitterebat, successerit, qui tenuis, & ex quadrato rotundus, recta versus centrum quadrati, quod basis dentis à parte inferiore describit, tendens, partem membranæ, quam diximus quadratum dentis ex transverso tegere premit, eamque in cavitatem basis cogit, & dentem simul versus gingivam propellit, ex qua pressione locus in alveolo circa parietes ejus pro ulteriore dilatatione membranæ conceditur, quæ postea cum succo quem continet, à pedetentim augmentato alveolo secundario, perfectiorem radicem formant, & quæ figuram mutans increscendo prorumpentem extra gingivas basin continuè etiam augendo sequitur; quò magis enim basis dentis à subsequentे dentis alveolo versùs superiora cogitur, cò plus spatii elongationi radicum conceditur, ita ut coronæ dentis usque ad principium radicum eruptæ alveolus, nunc non nisi à radicibus, & secundi dentis alveolo occupetur. Porrò quare molares plures habeant radices, cùm è contra canini & incisores solum unicâ gaudeant, evidens erit ratio, 1° si illorum usu considerato perpendamus tenuitatem maxillæ, quæ ibi loci vix unicæ retinendæ radici par est, immo tam arcta, ut canini primarii qui paulò crassiores sunt incisoris, aliquando latera exteriora mandibulæ perforantes cum gingivis communicare deprehendantur; 2° quòd alveoli secundariorum caninorum & incisivorum (à quibus formam & figuram radicum molarium superius deduximus) non in primariorum horum dentium alveolis latitent, ut de molaribus dictum est, sed à parte posteriori primorum alveolorum siti sint.

§. 4. Tandem mihi incumbit, ut verbum adjiciam, de parte dentium quam *Clarif. Malpighius* externum involucrum nuncupat, quæ pars (dentibus adhuc in suis alveolis abditis) non nisi in parte superiore dentis valde indistinctè, & mollis reperitur, erumpentibus tamen totam eorum coronam tegit, & non solum alterâ durior evadit, verùm còusque consolidatur, ut interdum plus quam lapideam induat

E na-

naturam, quare extrinsecus ita opposita videtur, ut scilicet continuae ciborum attritioni validius resistat, ac perfectius ob duritatem tritaret alimenta, & non dissimili sanè ratione, ac ab industriâ humanâ extremitates alicujus ferrei instrumenti, præsertim ubi continuo ac laborioso ministerio destinatae sunt, purissimo chalybe muniuntur; neque vero putandum hoc involucrum particularem habere ortum, differentem nempe ab eo, quem pars interna dentis sibi vindicat, quod autem similia dissimilia producere possint vix est credibile, nisi accidentales causæ aliquæ intercedant, causam enim cur involucrum externum ab altera dentis substantia gradatim discedere incipiat, & tandem omnime ab eâ differat, existimo esse in principio penuriam ejus nutrimenti, cum scilicet vascula exterioris membranæ contra partem superiorem alveoli compressæ, eâ, quâ prius propinarunt quantitate, succum non amplius suppeditant, unde evenit, ut à natura alterius substantiæ quæ in totum ab interna dentis membrana nutritur, discrepare incipiat; postea dente erumpente membrana externa circa superiora laceratur, & ratione quâ prodit dens extra alveolum, eâdem etiam hanc exuit membranam, ita ut totum hoc externum involucrum, nullum nec incrementum, nec nutritionem amplius recipiens ab externa membrana tandem adeò indurescit & politur ab attritu superiorum, ut vix liceat quacunque arte ossa magis nitidè elaborare & polire, hæc pars omni nutritione destituta aliam quidem videtur dentis partem conflare, quæ tamen propriè loquendo nihil est quam pars totius dentis à statu naturali propter exsiccationem mutata; quibus positis ipsam aggredior Dentitionem.

§. 5. Haud facile determinari potest, quo tempore 1° dentes oriuntur; nonnullis enim hoc citius, aliis tardius evenit: sunt qui cum dentibus nascuntur, ut *Ludovicus XIV. Galliarum Rex*, *Marcus' Curius*, & *Papirius*, hinc ultimi Denta-

ⁱ Plin. hist. nat. I. 7. c. 16. Balduin. Ronseus de vitæ humanæ primord. c. de dentitione. Theat. vitæ humanæ Zwingeri & Schotti Phys. curiosa.

ti à Romanis cognominati sunt; nonnullis verò secundo aut tertio mense prodeunt, plures tamen sexto, septimo vel octavo ætatis mense dentire incipiunt, quibusdam demum intra annum erumpunt; licet infantum quibus tertio, imò quarto ætatis anno dentes nondum apparuerunt, exempla existent; omnes etiam non simul prodeunt, sed ferè semper inter binorum annorum spatum.

§. 6. Sicuti Dentibus nullum extra gingivam crumpendi statutum tempus præfigitur, pari ratione hi nullum in prorumpendo observant ordinem, tamen saepiuscule primi qui erumpunt sunt incisores, propter gingivarum eos obtegentium tenuitatem, nec non horum dentium acumen, & alveolorum parvitatem: primus verò qui prodit plerumque oritur in maxilla superiore, (sæpe etiam ex inferiore¹) illoque erupto ordinariò in inferiore illi oppositus sequitur, cuius phænomeni ratio clara, dens nempe primò prominens partem gingivæ, quæ oppositum sibi adhuc dentem obducit, quotiescunque maxilla clauditur, adeò atterit, ut ille in primo sibi injuncto officio à commilitone adjutus, facilius vinculo gingivæ solvatur, ut eâdem libertate, quâ alter fretus, semper ad quæcunque sibi injuncta à natura officia paratus, ea commodè præstare possit: deinde duo molares in utroque latere utriusque maxillæ ex ordine apparent; tandem erumpunt canini, sic vocati propter figuram, quia multi crediderunt eos canum² dentes omnino referre: aut oculares in maxilla superiore, quia Veteres crediderunt eorum radices oculorum orbitam attingere, quod tamen falsissimum esse ex hodiernis anatomicis demonstrationibus clare patet, quamvis longitudine reliquorum dentium radices multùm superent; hi sunt dentes quibus gaudet tenera infantum ætas. Numerus dentium varius est pro ratione ætatis, in pueris ut plurimum, à septimo mense usque ad biennium & ultra, viginti dentes sensim, & alternatim prodeunt, qui numerus ad quartum usque vitæ annum permanet, posteà verò vel octo, vel duodecim alii emergunt, ita ut viginti octo, aut triginta

E 2

duo

¹ Barthol. Eustach. de dentitione c. VII.

² B. Martin Dissertation sur les Dens c. II. p. m. II.

duo in ambabus maxillis numerentur, posteriores tamen duo in utraque maxilla, ante decimum octavum, vigesimum, aut vigesimum octavum annum, vix proveniunt, ideo etiam dentes sapientiae dicti, illi enim qui tales aetatem, attigerunt, ratione & judicio posse uti supponuntur. Viso jam dentium crescendi forasque erumpendi modo, nunc symptomata hanc primam dentitionem concomitantia mihi sunt exponenda, tenerimi enim infantes saepe hoc tempore in tantum vitae discrimen adducuntur, ut multis saepe lethale fuerit¹, hinc dignissima ut ab unoquoque Medico accurate cognoscantur, ne interdum horum symptomatum causis aliunde a Medico nimis sollicitè investigatis ejus ignorantiae poenam luat tenellus infans.

§. 7. Signa unde dentes erupturi cognoscuntur, sunt
 1°. Ex aetate §. 5. c. vii. 2°. Quod infans saepe digitos ad dolorem demulcendum ori admoveat, 3°. Quod nutrices papillas fortius stringi quam antea percipient, 4°. Quoniam eo loco ubi dentes erumpere conantur gingivæ alblicant; deinde si gingivæ multum caleant & tumeant, si multa saliva ex ore effluat, si nimiae adsint vigiliae, si a lacte abstineant, haec vero si nimis diu durant graviora oriuntur symptomata, quæ optime annotavit Hippocrates,² dicit enim ad Dentitionem verò accendentibus, gingivarum pruritus, febres convulsiones, alvi profluvia, & maximè ubi caninos dentes producunt, & iis qui interpueros sunt crassissimi, & qui alvos duras habent: ad quæ verba procul dubio latinissimus A. Cornel. Celsus³ attendit, cum dicit, propria etiam dentientium, gingivarum exulcerationes, distensiones nervorum, febriculae interdum, alvi dejectiones, maximèque caninis dentibus orientibus male habent, quæ pericula cujuscunque sunt, & cui maxime venter adstrictus est, his genarum tumor, nausea & vomitus addi possunt.

§. 8. Haec omnia accidentia ex consideratione gingivæ & membranæ dentem exterius obvolventis explicari possunt, haec,

¹ Gualt. Harris de Morbis Acutis Infantum. p. m. 186.]

² Sect. 3. aph. 25.

³ Cels. l. 2. c. 1. p. m. 46.

hæc quid sit, & ex quibus conflata, ex superioribus satis liquet, hic addimus, quod nullam in corpore agnoscamus partem, in quam ratione molis plures fibrillæ nervosæ desinant; gingivam compositam esse ex membrana oris & periosteo dissecanti patebit, quod periosteum nil nisi expansio musculorum sit, non est ut dubitemus, *primò* quia nullæ partes quam tendines, ossibus sunt propinquiores, *secundò* quoniam periosteum cum tendine continuum est, *tertiò*, eò loci ubi tendines in os inseruntur periosteum deficit. His suppositis facile quis mecum judicare poterit, non posse non evenire, quin à toties reiterato succussu dentis in partem superiorem involucri & gingivam, quintum nervorum par, hujus distributiones, connexio cùm nervo intercostali, ejus descensus divisionesque¹ per omnes propemodum partes in abdomine contentas afficiantur, & irritentur, dein omnes musculi faciei convulsionem patiantur, porro subsequens spirituum animalium inordinatus motus, totum nervosum genus in consensu alliciat, unde *insomnia*, *vigilæ*, *pavores*, *Convulsiones*: quæ accidentia vel intensiora vel mitiora erunt secundum temperamentum infantis, vel quò plus aut minus, nervosum ejus genus susceptibile erit, cessabunt verò vel durabunt quò citius vel tardiùs, membrana dentis & gingivæ perforatur; tandem musculi faciei ob spirituum, animalium inordinatum nunc in eos determinatum motum, continuò convulsivè moventur, immo ob extraordinariam contractionem plus spatii occupantes glandulas & vasa salivalia comprimendo ad crebriorem salivæ dejectionem instigant, quæ à sanguine alterata, vel antequam omnis transcolationis leges ad normam sustinuerit, separata, à statu naturali decedens aptior ambientis alterantis & corruptientis aëris vi subeundæ existit, & secundum gradus alterationis, vel causabit tussiculam sicciam, vellicando laryngis membranam interiorem, vel vomitum, irritata ipsa ventriculi membrana, præfertim si tenelli omne alimentum recusant, quoniam ab illo salivæ vis alterans infringitur & temperatur saliva in ventriculo per

E 3

ali-

4 Willis, Nervor. description. c. 27.

aliquot tempus stagnans, magis magisque acris fit, posteā in intestina delapsa glandulas irritat, ut uberior in intestina lymphæ contingat effusio, imo à nimia salivæ acredine adeò afficiuntur intestina, ut convulsionem subeant, quæ largiora alvi profluvia reddit, & dolores atrocissimos in egerenda alvo creabit. Febres accident ex vera gingivarum inflammatione, convulsiones hæ aliquando adeò vehementes sunt, ut veram Epilepsiam æmulentur, quamvis meâ quidem sententiâ, non sit: veram enim non agnosco, nisi quæ oritur ex *idiopathia*, quæ hic non est: sed potius contingit, quia adest certa nervorum punctura *κατά την παθειαν* nervorum; quod hic idea tantum dico, quia multi circumforanei gloriantur se posse veram Epilepsiam curare, hujusque rei, ut ajunt, testimonia habent: quum postea re bene examinata nil præstent; morbi enim, quibus falsò Epilepsia nomen imponunt, non sunt nisi convulsiones, vel à dentitione, vel ab acido peccante, vel à vermis &c. ortum ducentes. Quod vero hæcce graviora mala illis potius eveniunt, quibus alvus dura, inde accedit, quia partibus inferioribus refertis, major sanguinis copiâ ad caput propellitur, unde vasis magis ac magis distentis, nervuli ad rupturam usque tenduntur, quod eò magis verum erit, quò major aderit plethora; quando autem genua tumeant¹ quod etiam ab alvo dura oriiri credo, diarrhaea superveniente tumor disparet, non tam gravia fore symptomata conjicio, quia venæ à fœcibus in intestinis congestis compressæ sanguinem ad superiora revertere prohibentur, quod ex tumore patet: hinc caput non tam abundantem sanguinis copiam accipit; ergo nec tanta vasorum repletione nec nervulorum tensio; alia obveniunt dentibus symptomata, utpote gingivarum tubercula, & exulcerationes, quæ leviora sunt, & ex sola obstructione explicari possunt.

§. 9. *Hippocrates*, & omnes post eum de dentitione scribentes (quos mihi legere concessum fuit) præ aliis omnibus dentibus caninos seu oculares in creando dolore, & hinc sym-

¹ Georg. Baglivii. Opera Medica p. m. 355.

symptomatum memoratorum horribilem aliquando eventum scilicet mortem accusant: quod jam adeò experientiâ innotuit, ut mulierculæ sciant, infantes circa prorruptionem horum dentium in majori vitæ discrimine versari. Causa verò cur ad hos præ cæteris spectet, non tam clarè apud Auctores innotescit, iis enim, qui à nervorum prærogativâ rem deducunt, non minus quam illi, qui aculeatæ eorum figuræ id imputant, hallucinantur, primores hi dentes canini non enim plures quam molares & incisivi habent nervos, nec earum figura acuta in explicando hoc phænomeno confert, quippe tantum abest, ut ab eâ eruptio retardetur, & dolores augcantur, ut illa potius promoveatur, & hi minuantur, quò enim spina acutior eò aptior, cum minori contusione & dolore ad perforandum existit. Dentem igitur caninum atrociora symptomata sequuntur ob triplicem rationem, *primò*, quia ejus radix crassissima plus etiam temporis in crescendo impendit quam aliæ, ita ut ob nimis lentam ejus augmentationem minus citâ basi suâ gingivam perforet, unde diutiùs in eâ hærens, eam continuò etiam irritat, & graviora producit symptomata. *Secundò* hic dens ordinario postquam à latere sibi adstans molaris & incisivus in totum prorupti sunt, prominere incipit, ita ut à dente canino in altera maxilla opposito nihil sibi auxiliū circa promptiorem conquassationem gingivæ promittere possit, quoniam dentes duo memorati absunt, quò minus se invicem tangere possint. *Tertio* tandem ratio à maxilla ipsa desumitur, quia nimis arctum abutroque latere concedens locum, primus à secundo versus latus maxillæ, quod labia respicit adeò protruditur, ut lamina ibi maxillæ in tumorem elevata, gingivam quæ ipsi insidet, comprimat, irritet, obstructionem inducat, quare etiam inflammatio, & tumor gingivæ circa hunc dentem tam frequenter in infantibus observantur.

§. 10. Expositis sic diagnosticis, tandem pauca quæ adhuc ad prognostica spectant videamus. Omne bonum malumve prognosticum, tam à constitutione corporis, quam ab aliis circum-

cumstantiis dependet, quò dentes obtusiores eò pejores à dentitione metuenda mala; difficiliùs enim gingivas perforant; item quò gingivæ solidiores magisque resistentes, eò diffici lior dentitio, & graviora sàpe symptomata; annotavit porrò *Divus senex*¹ *Vir omnium seculorum memoriam dignus*, sequentia, nimirum quòd, qui cum dentitione benè habito corpore permanent, gravi somno premuntur, periculum sit, ne eos convulsio prehendat; quòd qui cum tussi dentiunt, iis tardius dentes erumpant; dein quòd plerique convulsionibus affecti evadant, sic enim ait: non omnes dentibus erumpenti bus convulsione tentati moriuntur, plerique etiam servantur, quòd si febris acuta accedit, raro convulsione tentantur, & minus si alvus crebriùs dimittit; denique quòd quibus hyeme dentes erumpunt, si reliqua eodem modo se habeant, illi melius degant, & addit postea, cum enim hoc infantibus sit proprium, ideo per se minus periculosum, sed tamen non omnino periculi est expers, quæ omnia, an vera sint, nec ne? non disputabo, id saltem constat, quòd si eruptio variis de causis retardetur, & symptomata de die in diem excrescant, imò nova prioribus ablatis accedant, & infantum tenella corpuscula huic oneri ferendo imparia reddantur, tum morbus in mortem terminari soleat.

§. 11. Progredior nunc ad curationem, ex qua, si quis forsitan adhuc dubitet, omnia dicta symptomata à sola gingivarum irritatione posse oriri, etiam clarissimè convincetur: solutis enim vel sponte vel arte ita gingivis, ut dentibus locum cedere possint, statim ultro cessant, manifesta igitur & facilis (ut credo) quæ inde sequitur indicatio erit, adjuvandam nempe esse Naturam, ut faciliùs erumpant. hæc obtinetur triplici modo.

1. Emollientibus, lenientibus & refrigerantibus, ex molibus glutinosis, antiphlogisticis, quibus gingivæ, utpote inflamatæ, debent foveri, uti & paregoricis, parcâ manu exhibitis, ut *Syr. Rhead. Jujub.* Emulsionibus, ut semin: papaveris albi v. g. in initio, quando gingivæ prurire & dolere

¹ Hipp. lib. de dentitione sect. 3. p. m. 267.

lere incipiunt, v. g. fol. altheæ, malvæ, verbasci, horumque ut & sambuci florum ſþ; hisce ſuperaffundatur lac dulce tepidum, vel aqua, de quo deinde ſupernatans tremor viribus sambuci adhuc magis emollitus auferatur; vel florum Altheæ, farinæ lini decoque, fiat pulticula; znde parum croci, & tremorem, lactis, denuò hujus tremoris, & ſucci è ſemper vivo majore, vel portulaca, ſolano, laetitia, (quæ maximè conducunt, ſi adest inflammatio) horum recens prefforum pares portiones ſimul miſceantur, quo facto, in illam miſcelam ſpecillum lana involutum demittatur, & cum hoc illiniantur gingivæ, externè quoque foveantur maxillæ decocto altheæ, florum chamæmeli, anethi, vel ſucco malvæ, butyro, aut melle paſſulato, vel mucilagine ſeminum cydoniorum, & altheæ cum vitellis ovorum miſtæ, ut quantum fieri poterit, emolliantur gingivæ, ut inflammationi refiſtant; cerebro leporino cocto unâ cum capite illius, & cum melle ſubacto potius quām crudo ex Galeni & Avicennæ ſententia cum ſanguine pennæ gallinaceæ immaturæ cruentæ ſæpius eas tangere jubet Hartmannus² vel etiam medulla ex tibia & pinguedo leporis, gallinarum, anatum, coturnicis valde commendantur, uti & cerebrum vituli agni, ex pinguibus oleofis ut oleis liliorum alborum vel amygdalarum dulcium cum chamæmelo; alii verò extollunt ficus recentes in medio ſcissas gingivis applicatas; quæ tamen omnia nil miri habent tantum laxando & emolliendo agunt.

2. Maxillis ſæpe interponendo corpora dura & glabra, ut ſic gingivæ atterantur, ad quod ipsius naturæ iñſtinctu du- cuntur infantes, dum quævis ſibi oblata corpora apprehen- dunt, orique inducunt, iisque gingivas fricant; hunc in fi- nem ut ſpecificum laudant auctores dentes lupi, non quòd credereñ ut Sylvius de le Boe, eos ſcatere ſale quodam vola- tili, cuius penetrantiffimus halitus emissi promoverent gin- giavarum perforationem, ſed meræ nobis videntur eſſe nugæ:

F

no-

1. D. Señnert. L. 2. pract. p. 44.

2. Hartmannus apud Schonborn, in manuali prax. med. p. m. 48.

3. Sylvius de le Boe c. de dentitione p. m. 514.

ANNEXA MEDICA.

- I. *Omnem liquorem Ore assumptum prius per Cor transfire debere antequam ad Renes veniat affirmo.*
- II. *Aquam in Pericardio hærere nego.*
- III. *Menstrua muliebria ex sola oriri plethora statuo.*
- IV. *Ergo eadem in muliere sana non sunt venenatus, sed bonus, sanusque sanguis.*
- V. *Menses ex Utero pariter ac vagina profluunt.*
- VI. *Illos fermento uterino profluere nego.*
- VII. *Nullum datur in corpore fermentum, nulla etiam continet fermentatio in nobis, si inchoatam in Ventriculo exceperis.*
- VIII. *Solo attritu non fit prima digestio.*
- IX. *Nullum sanguis in se continet granum acidi vel alcali.*
- X. *Salia diversæ naturæ mista sanguini seorsim colorem varie quidem mutant, sed nullum effervescentiae signum dant.*
- XI. *Saliva neque Succus Pancreaticus sunt acidi.*
- XII. *Neque Bilia est alcalica.*
- XIII. *Emetica possunt fieri purgantia, ut & purgantia emetica.*
- XIV. *Terrea sic dicta medicamenta non agunt nisi in primis iuis.*
- XV. *Calida medicamenta in omnibus morbis inflammatoriis nocent.*
- XVI. *Generale Medicamentum nullum datur.*
- XVII. *Dantur Glysteres nutrientes.*

T A N T U M.

F I N I S

MA

27